

storiā *Leopoldus Fitzinger* compendio tradidit (*Oesterröichische National-Encyklopädie. Wien, 1835. Band III. S. 5 — 10*), quibus pauca quae de *Jacquinia gente* in *Josephi Francisci* adversariis notata reperio, subjungenda sunt.

*Claudium* et *Nicolaum Jacquinios* fratres Parisiis circa annum 1679. Lugdunum Batavorum migrasse, domumque exercendo pannificio communi aere condidisse, inter posteros constitit. *Claudio* anno 1694 Parisios ad lares reduce, *Nicolaus* auctis honesta industria opibus apud Lugdunenses manet, filiae, quae postmodum *Gerardo Hoop*, medico apud Harlemum non incelebri nupsit, et *Claudii Nicolai* (nat. 10. Maji 1694) e *Maria Broekhuysen* pater.

*Claudius Nicolaus*, optimis eruditus literis, paternae domui cum splendore praeest, nuptiis cum nobilissimae gentis a *Heyningen* unica haerede *Elisabetha Maria* († 12. Martii 1755) dives. Ex his praeter plures filias, quarum una *Agatha Maria* (nat. 1. Julii 1735) postmodum *Joannis Ingenhousz* viri celeberrimi uxor, et *Joannem Jacobum* († 25. Aug. 1768), qui Hagae Comitum artem pharmaceuticam exercuit, decima sexta mensis Februarii anni 1727 *Nicolaus Josephus*, summus botanicus nascitur.

*Claudius Jacquin*, quem anno 1694 Parisios rediisse memoravi, uxorem e gente *Poquelin*, duosque filios ex illa habuit. Horum unum, Gallorum in insula Martinicae Navarchi Greffarium, *Nicolaus Josephus* noster anno 1755 in America convenit, alter, cui pariter Claudii nomen, *Jacquiniorum de*